DE EPISTAXI DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD SUMMOS...

Bartolomeo Cuzzetti

DE EPISTAXI

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS HONORES

IN

IN ARTE MEDICA

ASSEQUENDOS

IN VETUSTISSIMO AC CELEBERRIMO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICE EXPONIT

Bartholomaeus Cuzzetti

BRIXIA

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXL

ALLE PIE MANI
DEL BENEVOLO CONGIUNTO
CHE
IN RUINOSO E MALIGNO MORBO
DI GENITRICE MIA
MOSTROSSI DI SUA SALVEZZA
SAGACE MINISTRO

L' AUTORE RICONOSCENTE E MEMORE
QUESTE POCHE LINEE
DEDICA E CONSACRA

DE EPISTAXI

Inter infinitam propemodum morborum seriem, quibus saepe saepius humanum genus conflictatur, narium haemorrhagia, de qua nunc mihi sermo est, frequentissime occurrit. Nec mirum statim ac delicatissimam narium internarum texturam, sub tenera praesertim aetate, maximum illarum cum cerebro, oculis, lingua, diaphragmate, quin reliquo cum corpore consensum, facilemque in ipsas nocentium potentiarum ingressum parumper consideremus. Argumentum sane magni ponderis est, nec meis humeris ferendum: vestra tamen, sapientissimi viri, humanitate atque benevolentia fretus aggrediar, et quomodocumque perficiam.

Narium haemorrhagia epistaxis dicitur, ab aliis rhinorrhagia. Fluit autem sanguis vel per utramque, vel per alterutram tantum narium aperturam, nunc vero a posterioribus narium hiatibus

in fauces defluens per os emittitur. Rursus modo magno rivulo profluit sanguis, modo stillatim decidit: si primum, proprie narium haemorrhagiam vocare malunt; si alterum, stillicidium appellant, verum nemo vitio nobis vertet, si, de iis differentiis minus solliciti, quodcumque sanguinis ex internis naribus profluvium epistaxis nomine comprehendamus.

Epistaxis modo essentialem constituit morbum, modo alteris superaccedit in vario ipsorum stadio, nunc critica, nunc symptomatica. Praeterea tributa est in habitualem, vel accidentalem: in periodicam aut vagam: in haereditariam, vel adventitiam, in acutam, vel chronicam, in idiopathicam, vel sympathicam. Traumatica etiam modo est, alias spontanea, nec non epidemico interdum genio grassari visa est, aut potius ut epidemici morbi frequentissimum symptoma se prodere. Tandem maximi facienda ejusdem partitio in activam et passivam.

Absque ullo praevio signo repente interdum epistaxis manifestatur. Huc spectat passiva, non secus ac illa, quae externam violentam causam agnoscit. Activa vero solet habere prodroma indicia ipsam praenunciantia, quae diathesis inflammatoriae signorum aemula sanguinis ad caput impetum adauctum arguunt. Huc pertinent facies

tensio, inflatio, rubor; capitis, ac praesertim sincipitis gravitas, vel dolor; carotidum, ac temporalium arteriarum molesta pulsatio; oculorum rubor, suffusio, lacrymatio; visus hebetudo, tinnitus aurium, surditas; mentis functionum perturbatio; somnolentia, vertigo, stupor, pavores nocturni, pruritus narium. Huc quoque spontaneae totius corporis lassitudines, oscitationes, horripilationes, perfrigerationes, quibus interdum dyspnoea, vomitus, aliaque adjunguntur. Huc denique pulsus plenus, undosus, dicrotus non raro in alterutro tantum ex carpis; sicuti mox recensita nonnulla signa in alterutra tantum capitis ac faciei parte observare fas est: quo quidem in casu ex ipsius lateris nare, in quo haec adnotantur, haemorrhagiam expectandam esse medici testantur.

Interim praesentibus pluribus, paucioribusve ex memoratis signis, frequenter increscente narium pruritu, qui ad scalpendum incitat, aut sternutatione interdum praeeunte, sanguis rutilus, facile coagulabilis prorumpit. Cogitur siquidem non raro in polyposam massam extra nares propendentem, ac ipsarum cavitatem replentem, qua decidua, aut avulsa, uberius mox sequitur profluvium aegre coercendum. At si modica sit haemorrhagia, sicuti sub sanguinis fluxu cernere est symptomata imminui, aut prorsus cedere, aegrumque melius se

habere; ita si praecocius, vel sponte, vel praepostere sistatur, cephalalgiae, vertiginum, soporis, delirii, inflammationum, aliorumque morborum origo vix non semper pertimescenda

Porro vix ulla ex supra dictis signis activam narium haemorrhagiam indicantibus praecedentia, uti et qualitas fluentis sanguinis tenuis, soluti, aegre aut nihil omnino coagulabilis, pulsuum usque et usque aucta concidentia, virium insignis depressio addita status aegrotantis antecacti consideratione, passivae epistaxis diagnosin facile exhibebunt.

Contingit vero persaepe, ut sanguis aut coactus, aut fluidus per posteriores narium aperturae in fauces, atque inde in oesophagum, in ventriculum alias etiam in pharyngem delabitur, ore mox per vomitum, aut tussim ejiciendus; ex quo consequitur plurimi ad hoc interesse attendere, ne pro haematemesi, aut haemophthisi metum imponat

Frequentissima certe narium haemorrhagia prae caeteris pueros, atque adolescentes magis vexat. Revera sicuti mollis et laxa narium membrana innumeris vasorum propaginibus instructa eo nos ducit, ut ex facili ad hanc sanguinis impetu, vel minori resistentia frequentiam haemorrhagiae narium explicemus, ita ea aetate, qua sanguis majori copia ad caput dirigitur, ipsam ideo facilius

contingere arguimus. Haemorrhoidarii, plethorici, spirituosis liquoribus indulgentes, diuturnis viscerum abdominalium infarctibus detenti, studiis profundis dediti, pathematibus confecti, scorbutici facillorem ad epistaxim praedispositionem contrahunt, nec non illi qui aliquo narium, vicinarumque partium vitio laborant.

Inter occasionales epistaxis causas memorantur omnes illae, quae vel supra nares vicinasque capitis partes agunt, vel aliis in partibus insidentes, aut sufflaminato sanguinis circuitu id efficiunt, ut hic majori quantitate ac impetu narium vasa petat, ex his demum erupturus, aut quocunque modo sanguinem ad caput incitare, aut ejusdem reditum impedire, posse concipiuntur; uti sunt compressio, distractio, contusio, narium vulnera, ulcera, polypi, irritamenta mechanica, acres vapores inhalati, vel hujus generis pulveres attracti, insolatio, caloris ex igne ardente, vel ex hypocausto in caput actio, nimis stricta collaria, similia. Huc quoque spectant violenta animi pathemata, vigiliae, vehementia exercitia, sternutatio, clamores, tussis, ejulatus, acrium ac spirituosorum abusus, suppressio aliarum evacuationum, membrorum mutilatio, frigus intensum. In hunc etiam censum veniunt inflammationes non capitis tantum, sed et aliarum partium, non secus ac exan-

themata nonnulla, tum nonnullorum viscerum infarctus, hepatis praesertim et lienis, ventriculus atque intestina cibis, flatibus, saburris obsita. vermes ipsi in intestinis nidulantes. Huc demum accensenda illa omnia, quae narium vasorum laxitati favent, uti et discrasiae, nec non in hanc haemorrhagiam habitudo.

Quoad epistaxis prognosim pertinet, levis ipsa est morbus in pueris atque adolescentibus, qua, sublata per aetatem, ut inquit J. P. Frank, humorum ad caput congestione, sponte saepe dissipetur. Verum tamen si aequo frequentius invadat, et levibus omnino de causis recurrat, metum incutit futurae haemophthisis juvenili aetate. Magis pertimescenda epistaxis, quae haereditaria est. In juvenibus saepe haemophthisim pervertit epistaxis. In senibus generatim est magis ominosa, in his enim apoplexiae praenuncia saepe animadversa fuit. Generatim epistaxis activa vix periculosa esse solet, nisi admodum copiosa ac frequentius renovata. Contra majorem semper incutit metum passiva. Bonum omem portendit epistaxis, cum ea ipsa molesta, quae prius vexabant, disparent symptomata, aut cum defectui suppleat alterius haemorrhagiae; quod jam innuit Hippocrates inquiens: mulieri, menstruis deficientibus, e naribus sanguinem fluere bonum.

Quanti saepe emolumenti sit epistaxis, quotidiana docet observatio, jamque ex divini Senis operibus colligere est, ex narium haemorrhagia abscessus ad articulos, dolores capitis, et aurium surditatem, tenebrosas vertigines, mentis perturbationes, morbos quam plurimos acutos fluente ex naribus sanguine judicari, aut solvi, quae quidem omnia posterioris aevi confirmarunt observationes. Quod si justo parcior sit sanguinis fluxus, vel aliqua de causa praepostere cohibitus, ominosa tunc nullo negotio exoriri possunt pathemata, et capitis praesertim morbi, vertigo, cephalaea, amaurosis, aurium tinnitus, surditas, sopores, apoplexia, convulsiones, caetera jure pertimescenda.

Quae in morbis contingit narium haemorrhagia, utrum salutaris, critica, an symptomatica sit, ex morbi indole non minus, quam ex hujus stadio, et enatis inde effectibus dijudicandum. Quantum vero levaminis expectandum ab epistaxi in febribus, ac generatim in morbis cum statu phlogistico sociatis, si aequa quantitate fluat sanguis, aptoque tempore, tantum generatim portendit discriminis in febribus nervosis, malignis, hujusque indolis exanthematibus.

Mala quoque generatim censetur narium haemorrhagia in longis chronicis affectionibus eum summa virium debilitate incedentibus, in viscerum

labe, cachexia, hydrope, scorbuto et similibus, etsi etiam non insigni copia sanguis fundatur.

Malum pariter si horrores, rigores, tenues sudores, convulsiones, delirium, singultus, extremorum frigus epistaxim excipiunt. Periculi plena censetur, quae hecticis, inanitione detentis, viribus exhaustis contingit. Lipothymia, syncope, caetera languoris ac virium concidentiae signa epistaxim subsequentia, sicut haud ita metuenda in activa, contra magis periculosa censenda in passiva. His addenda consideratio sanguinis effluentis, qui quo magis naturali crasi ac qualitatibus discessit, eo magis ominatur discrimen. Ceterum ex abnormi sanguinis e naribus profluvio quam funesti emanci possint effectus iis etiam in casibus, in quibus a moderato ipsius fluxu levamen expectari potuisset, non est cur dicamus. Etsi tamen naturae agentis vim mira saepe operari, et plurimi interdum valere contractam habitudinem non inficiamur.

In epistaxis curatione eo primum spectare debet medicus, ut decernat activane sit an passiva, maxime vero utrum salutaris, critica sit, an symptomatica, habita semper causarum ratione, ex quibus orta est ac fovetur, non secus ac illorum adjunctorum, quae in singulari quocumque casu peculiarem considerationem exposcere videntur.

Quapropter utrum sinenda sit, aut etiam promovenda, an compescenda epistaxis sedulo inquirendum Porro attenta consideratio signorum ac symptomatum, quae praecesserunt, observatio effectuum, qui sanguinis fluxum comitantur ac consequuntur, morbi, in quo haemorrhagia supervenit, indoles, uti etiam tempus, quo contingit, qualitas fluentis sanguinis, aegri aetas, temperamentum, constitutio, cetera, si quae sint, adjuncta totidem sunt adjumenta, quae medentem ita dirigunt, ut dum salutares naturae motus nullo pacto turbare docetur, eodem etiam tempore iisdem, prout opus, obsequatur, et caveat, ne salutare sanguinis profluvium praepostere compressum, gravioribus praebeat malis originem. Hinc cur generatim statuant cordati clinici epistaxim quae pueros adolescentes, juvenes, vegetos, robustos, succi plenos, plethoricos adgreditur, tum eam quae in morbis supervenit cum statu phlogistico sociatis, aut in illis, in quibus sanguinis impetus ad caput speciatim dirigitur, tum vero eam, quae suppressae alterius sanguineae evacuationis supplet defectui, nullam requirere auxilium, illis exceptis quae eo spectant, ut juxta aegri vires et adjuncta inter limites coërceatur sanguinis evacuatio.

Ex hisce fluit, plurimi interesse in eo incum-

bere, ut epistaxis, cum parca omnino sit, et perstent symptomata, quae sanguinis impetum ad narium et capitis vasa incitatum demonstrant, persaepe promoveatur vaporibus ex aqua calente attractis, suppressa revocetur hirudinibus in interiores nares applicitis, aut irritantibus admotis, quae si votis non cedant, et robur, aetas, temperamentum, causae, febris accedens atque alia indicent ad sanguinis missionem hancque, prout opus, repetitam praestabit confugere, eoque fidentius, quo graviora symptomata ab epistaxi, vel parca, vel sponte, aut intempestive cohibita subesse, aut instare comprehendantur.

Sicuti autem ab ipso sanguinis e naribus profluvio moderato, tum ipsius haemorrhagiae, tum symptomatum levamen contingit, ipsaque imo succedens lipothymia terrere non semper debet; ita consequitur, si ex nimia sanguinis deperditione periculum instet, id totis viribus esse attendum, ut funesti praecaveantur effectus, opportunis in usum ductis auxiliis, tum quando haemorrhagia vexat, tum quando jam fuit cohibita, ad praecavendam recidivam. Tempore haemorrhagiae (ita Burserius) ea adhibentur, quae sanguinem sistant. Haemorrhagia jam cohibita, vel diutius protracta, causae eam efficienti occurritur.

Inter caetera auxilia primum venit causarum

stimulantium quantum fieri potest remotio; hinc cubiculi calor temperandus, nimia vitanda lux, compestus victus, spirituosi calentesque potus emendandi, erectus servandus trunci et capitis situs, maxime corporis animique quies concilianda, cavendum a loquela, tussi, sternutatione, et quacumque narium irritatione Simul etiam conveniet tepida pediluvia in usum ducere alvumque clausam clysteribus aperire: interdum perstante pulsuum plenitudine, vigore, duritie, iteratae sanguinis missioni fit locus non solum ad excedentem sanguinis quantitatem imminuendam, sed ad ejusdem impetum a capite ducendum. Hinc sanguinis e pede missio promptum saepe sistit remedium ad compescendam epistaxim. Interim diaeta tenuis sit, potus diluentes, temperantes, subacidi, nitrati, ad frigidum potius vergentes.

Quod si hisce irritis sanguis eo magis fluere pergat adeo ut epistaxis jam passiva evaserit, aut talis ab initio fuerit, tum statim confugendum ad illa auxilia, quae sanguinis fluxum sistere valent, et eo citius, quo majus imminet ex inanitione, summaque virium prostratione periculum. Tunc ergo suppetias ferent splenia ex aqua frigida, vel oxycrato imbuta fronti, temporibus, cervici, occipiti, dorso, pudendis admota, non secus ac hujus generis inspersiones: cataplasmata ex ovi albumi-

ne cum aceto, vel adstringentibus pulveribus conflata fronti imposita. Summi quoque sunt usus turundae naribus inditae aceto, aqua Rabelli, solutione aluminis, gummi kino, catechù, vel aqua styptica imbutae, memoratis pulveribus conspersae. Fuligo, teste Borserio, si alia ad manus non sint, cum albumine ovi subacta, ac turundis, vel gossipio excepta utilissime in nares intruditur; sicut etiam cum utilitate adhibetur boletus igniarius, tum pulvis ex combustis linteis. His adduntur, prout opus, injectiones ex aqua frigida, aut ex adstringentibus decoctionibus, solutionibus, aquis destillatis. Aliquando vasorum, ex quibus sanguis fluit, compressio haemorrhagiae extemplo coercendae sufficit. Hinc cur compressae alae nasi sanguinis fluxum non raro sistant, quod pariter de compressione internis naribus facta tenendum est, sicuti contigit celeberrimo Morgagni, qui epistaxim pulverum jam auxiliis refractariam compescere potuit turundis durioribus, ut validam compressionem exercerent, in nares immissis.

Interim prospiciendum etiam est posterioribus narium aperturis, per quas sanguinem in oesophagum, nec non in pharyngem cum periculo protrudi potest Quapropter, clausis etiam posterioribus narium in fauces ostiis, fit, ut coercitus sanguis facilius concrescat, unde haemorrhagiae

cessatio. Hoc consilio turundae in nares injiciendae ita filo alligantur, ut per nares anteriores ad fauces trajecto iis partibus, ex quibus sanguis fluit, applicari, et pro opportunitate hinc inde trahi queant. Quae autem polyposae concretiones intra nares efformantur, sinendae donec sponte decidant, ne, his distractis, renovetur aut uberior adhuc sequatur haemorrhagia.

Summae quoque utilitatis sunt cucurbitulae tum siccae, tum scarificatae dorso, scapulis, cervici, nec non hypochondriis applicitae. Et sane non tantum ex sanguinis evacuatione, aut revulsione, sed ex vario stimulo, quem supra cutem exercent, et a naribus detrahunt proficuae censentur cucurbitulae. Hinc etiam repetendus effectus, quem in epistaxi producunt frictiones, rubefacientia, vesicantia, terror etiam repente incussus, uti et inspersiones frigidae in faciem, dorsum, alibi inopinate aegro factae non semel epistaxim compescuerunt Sursus ex vinculis artubus injectis, ut sanguinis per venas regressus retardetur, non exigua in sistenda epistaxi utilitas fuit animadversa. Demum ex antea dictis pronum est concipere, epistaxim, quae haemorrhoidum, aut catameniorum vices gerit, haudquaquam prohibendam esse, nisi prius certum fuerit, quod restituantur haec spontanea et periodica sanguinis profluvia, illo tamen semper

excepto casu, in quo ab excedente sanguinis evacuatione discrimen habetur.

Quum epistaxis ab alio morbo sobolescit, aut sympathica est, potior tunc attentio ad morbum primarium, et causam qua fovetur, convertenda est. Hinc patet cur epistaxis, quae sub intermittentium febrium larva incedit, cortice peruviano vincatur; cur epistaxi a nervosis affectionibus exortae antispasmodica, nervina succurrant; cur sordibus turgente ventriculo, aut intestinis, mirum praestent effectum ad eamdem compescendam emetica, aut purgantia, quod de anthelminthicis dicendum, cum a vermibus producatur; cur nervosis et malignis in febribus, morbisque vexans narium haemorrhagia tonica, nervina, antiseptica, opiata expostulet, cur epistaxis universalem virium debilitatem pro causa agnoscens victum analepticum, vini, aromaticorum, corticis peruviani, martialium usum requirat: cur demum alias ad ipsam devincendam peculiari vigenti discrasiae appropriata remedia sint admoinistranda.

Quae ab organico vitio fovetur epistaxis, nisi palliativam generatim curationem admittat, nisi enim organico vitio tollendo locus concedatur, de epistaxi radicitus tollenda vix sperandum. Interim nunquam fugere debet praeceptum, quo docemur urgentiori succurrendum esse

Narium haemorrhagia coërcita, per sat longum tempus quieti obtemperet aeger necesset est caveatque, ne factum in naribus coagulum removeat, donec sponte decidat. Hoc autem deciduo, non ita facile illorum usui indulgent, quae irritationem naribus inferre valent. Pro causarum vero, quibus fuit producta, et virium, quae supersunt, adjunctorumque varietate, variis tum diaeteticis, tum medicis auxiliis locus conceditur.

184

THESES DEFENDENDAE

I.

Narium haemorrhagia frequentior in pueris quam in senibus.

II.

Opium sopiente pollet facultate.

III.

Tabaci et fumi abusus juvenibus effectus perniciosos inducit.

IV.

Divisio morborum in dynamicos et organicos est justissima.

V.

Naturalem hominis positionem verticalem esse debere, ex anatomia probamus.

VI.

Remedia domestica minime contemnenda.

VII.

Diaetetici errores etiam levissimi in acutorum morborum curatione damnosi evadunt.

VIII.

Demolitio mammarum in cancro aperto semper infaustum exitum inducit.

IX.

Absolute virginitatis signa non dantur.